



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Quæst. V. De Præcepto Charitatis Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

mae perfectae desiderant dissolvi & esse cum Deo.

Quae hic possent proponi de divisione amoris in amorem Dei tamquam auctoris naturae, & amorem Dei tamquam auctoris gratiae seu bonorum supernaturalium vide explicata *Tract. de Grat. d. 2. q. 4. m. 37. & seqq.*

41. Eadem simplex charitas elicit amorem Dei & proximi propter Deum.

Dico II. Eadem simplex & indivisibilis charitas habitualis inclinatur ad amandum Deum, & proximum propter Deum. Est communis Doctorum, & consonat Augustinus 8. de Trinit. c. 8. dicens: *Ex una eademque charitate Deum, proximum, diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Ratio sufficiens sumitur ex identitate motivi, quo nimirum non diversificato, non est necesse diversificari habitum supernaturalem (quidquid sit de naturali) utpote se habentem instar alicujus potentiae, non autem instar vestigii suorum actuum. Ut proinde non obstat diversitas specifica velut physica ex parte objectorum materialium desumpta. Non referat quoque, quod (ut objicitur) in dilectione proximi reperitur nova difficultas. Quae tamen sufficienter tollitur per mentem vivaciter applicando motivum charitatis proximo, etsi alioquin inimico. Non obstat etiam facilitas diversa, quae sentitur in exercitio amoris Dei & proximi: habitus enim infusi non dantur ad facile, sed ad simpliciter posse; adeoque data diversa facilitate, in aliud principium ipsa est referenda. Non obstat denique, quod divina bonitas non insit interne proximo: etsi enim propterea non sit diligendus super omnia, uti Deus, sufficit tamen ordo seu habitudo extrinseca ad bonitatem Dei, ut propter illam proximus diligatur. Sicut medicina, de se naturae ingrata, amatur ob bonum sanitatis sibi extrinsecae.

Variis objectionibus occurritur.

42. Diversimodè ad id fit. Primò.

Charitas autem Dei diversimodè potest inclinare in dilectionem proximi. Primò quatenus sincerus amicus Dei ab ejusdem bonitate motus cupit eum diligere à quibuscumque, veluti ab iis merito diligendum, adeoque ipsum diligere à proximo. Hoc ipsum autem desiderando, maximum proximo bonum cupio, adeoque ipsum diligo, etsi propter divinam bonitatem, quae dignissima est, ut à proximo diligatur.

Secundò.

Secundò, qui diligit Deum cupit ipsi quocumque bonum, atque adeo quòd omnia cedant ad bonum & gloriam ejus, ac quaevis creatura sic benedicat Deum, ejusque gloriam manifestet. Specialiter autem Deo bonum est, quòd proximus eum amet, veniat ad caelum &c. Unde taliter amat syncerè Deum, se & proximum, qui ut augeatur honor & gloria ac bonum Dei, rectè vivit, alios rectè vivere cupit & procurat verbis, exemplis &c.

43. Tertio.

Tertio, qui diligit aliquem, diligit ea quae pertinent ad ipsum, v.g. filium ob patrem.

Herinex Sum. Theol. Pars III.

trem, etiam jumentum amici propter ipsum. Unde 1. Joan. 5. dicitur: *Omnia qui diligunt eum qui genuit, diligunt & eum, qui natus est ex eo.* q. d. ita natura comparatum est, ut qui patrem diligit, ejus causam quoque filium diligit. Proinde nos qui Deum diligimus, diligimus quoque propter Deum natos ex eo, qui sunt fratres nostri. Aut etiam subinde amatur filius aut externus, quia in eo refulcet imago, virtutes & perfectiones amici, &c. & proximus ac creatura alia, quatenus in eo refulcet Deus ejusque perfectiones; dum tamen divina perfectio sit, quae movet.

Denique cum Deus praeceperit dilectionem proximi, nascitur inde quaedam necessitas diligendi proximum; quod si tunc faciamus, ne patrem nostrum optimum offendamus, ac ut Deo amico nostro placeamus, quodque illi gratum est praestemus, verè diligimus ipsum propter Deum & divinam bonitatem, cui per omnia placere, & quod illi gratum est praestare cupimus. Sed quia Deus non praecipit dilectionem proximi fieri ob certum motivum, v.g. bonitatem Dei, praecipit satisfacere, qui proximum propter se amaret, & in necessitatibus ex alio motivo succurreret. Unde ut sit Charitas Theologica, debet fieri, quia id Deo placet.

Nihilominus si proximus praecise ametur ob suam bonitatem intrinsecam, etsi supernaturalem, non erit Charitas Theologica; cum Virtus Theologica necessario tendat in Deum, saltem tamquam objectum formale. Quare actus erit amicitiae moralis, sive acquiritae, sive infusae, si detur. Quamvis & hic possit reflexè imperari per distinctum actum ex motivo charitatis divinae elicitum; ut patet.

Quarto.

44. Dilectio proximi ob suam intrinsecam perfectionem, etsi supernaturalem, est actus amicitiae moralis.

QUESTIO V.

De Praecepto Charitatis Dei.

PRaeceptum diligendi Deum habetur expressum Deuter. 6. & reperitur à Christo Marc. 22. his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Qui subdit Christus: *Hoc est maximum & primum mandatum.* Quo quidem mandato in primis continetur praecipitum negativum non habendi Deum odio, & generale non agendi quidpiam quod sit contra amicitiam Dei, adeoque praecipitum generale non peccandi, praesertim mortaliter. Continetur praeterea praecipitum generale affirmativum observandi omnia mandata Dei: praecipitum enim hoc est velut compendium praecipitorum, ideoque dicitur ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Is enim veraciter Deum diligit, qui ad amissim omnia Dei mandata studet servare, adeo ut convincatur Deum ex toto corde non diligere, qui observantiam alicujus mandati post-

45. Quanam consueantur praecipitum diligendi Deum.

T

postponit affectui creaturæ seu Alicujus rei extra Deum. Unde *Joan. 14.* dicitur: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me: qui non diligit me, sed mones meos non servat. Et c. 15. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

46. An verò insuper contineatur ibidem speciale præceptum dilectionis actualis internæ, quæ homo in Deum tamquam in suum bonum sic feratur affectu & voluntate, ut cum præponat universis rebus commutabilibus, adeoque malit omnia, quàm Deum ejulve amicitiam amittere, quod quidem præceptum obliget aliquando in vita, etsi non pro semper & ad semper; dubitari posset. Nonnulli enim id negasse referuntur. Sed communissima sententia Theologorum cum *D. Thoma*, & *Scoto d. 27. quæst. unic. num. 18.* id affirmat. Quorum sensus adeo communis grave est fundamentum ita sentiendi & Scripturam ac legem naturæ interpretandi. Ratio assignari potest, quod hoc exigere videatur ipsius Dei bonitas & amabilitas, quæ omnino videtur exigere amorem ex parte nostrum, maxime tot titulis ei obstrictorum; non minus quàm assensum credendi summæ ejus veritati, aut ullum alium actum præceptum. Unde congruentissimum erat, imperari actum dilectionis Dei, adeo naturæ conformem, & Deo gratum ac perfectum; adeoque de facto imperatum esse, defectumque illius esse contra rationem, communis sensus Doctorum tradit.

47. Nec obstat, quod in Decalogo non exprimitur hoc præceptum. Nam est veluti præambulum ad alia præcepta, quorum observantiam exigit dilectio Dei; cuius quidem præceptum affirmativum à ceteris distinctum alibi satis expressum erat, scilicet *Ego sum Dominus Deus tuus.* Præceptum autem generale negativum, non offendendi scilicet Deum, est imbitum omnibus aliis præceptis.

Non obstat etiam, quod *Joan. 14.* observans mandata dicatur diligere Deum; adeoque præceptum dilectionis non videatur esse speciale, sed solum generale de observantia mandatorum. Nam ut observet quis mandata, Deumque non offendant, debet servare hoc ipsum speciale mandatum de interna dilectione Dei. Alioquin secluso mandato & actu speciali internæ dilectionis, servans mandata & opera mandatis correspondentia exercens, non diligit Deum formaliter, sed interpretativè, quatenus ceteri interpretativè potest diligere Deum, qui ejus voluntatem exequitur. Nec natum est fieri, ut sedulus divinatorum mandatorum observator non eliciat interdum actus formales veri & interni amoris Dei.

48. Dubitatur præterea, quid sit Deum ex

toto corde diligere, adeoque qualis debeat esse dilectio, ut satisfiat præcepto? *Alensis*, *D. Bonaventura*, *Durandus*, *Angelus*, *Petrus Soto* apud *Hugonem Cavellum* in *Scolio ad Scotum 3. d. 27. n. 16.* censent contineri obligationem diligendi Deum super omnia alia intensivè. Pro qua sententia etiam solet citari *Scotus* *supra*; qui tamen (ut notat *Poncius in Comment. n. 47. & 48.*) non exigit majorem intensiorem gradalem, sed solum hoc, quod Deus debeat diligere super omnia extensivè, id est, appetitivè; & intensivè, quantum ad hoc, quod debeat esse amor efficax. Communis itaque Doctorum sententia (quam etiam sequitur *Cavellus*, *Pitigianus*, *Poncius* & alii *Scotisti*) est, Deum debere efficaciter diligere super omnia appetitivè, idque sufficere: hoc enim simpliciter est magis Deum, quàm alia diligere. Nemo namque negat, nos illum maxime diligere, cui tali affectu adheremus, ut malimus quævis alia relinquere, & quorumvis indignationem subire, quàm aliquid agere, quo ab ejus amicitia separeremur. Quamvis aliquando Deus indubie dignissimus sit, qui etiam toto conatu quantum ad intensiorem ametur, suppone non sufficienter diligibilis ab ulla creatura, quin majori & intensiori semper dilectione dignus sit. Verùm hujus rei obligatio neque ex ratione, neque ex tenore præcepti sufficienter colligitur; sed solum efficax appetitatio seu æstimatio Dei præ omnibus, ut clarius indicatur *Matth. 10. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Ubi manifestè solum significatur, quod si necessitas venerit, ut amor parentum Dei amori comparandus sit, & non possit uterque servari, tunc odium in suos pietas sit in Deum, ut notat *Hieronymus ibid.* Vide etiam *Augustinum Epist. 89.*

Id ipsum declaratur ratione: quia certum est apud omnes nos non obligari ad maximam intensiorem dilectionis possibilitatem, sive absolute, sive considerato auxilio & habitu diligentis. Supponendo igitur sufficere dilectionem v.g. ut quatuor, satisfaciat præcepto, qui actu tam intenso vellet placere Deo, in omnibus potius quàm creaturæ; quantumvis haberet amorem ut sex erga creaturam. Neque enim amoris hujus intensio enervat efficaciam præsuppositi amoris Dei, aut cum eo repugnantiam habet. Nec apparet ratio, cur eo ipso, quo amor honestus abundat in proximum, peccaretur contra Deum. Perplexitatem quoque non modicam afferret opposita doctrina, cum planè ignota notis sit quantitas intensiorem gradalis in actu voluntatis, unde anxie hærebit animus, num forte intensior sit aliquis affectus honestus erga rem creatam. Quare credendum non est cadere sub peccatum, quod non cadit sub notitiam nostram.

Deni-

Specialiter, an actus dilectionis Dei super omnia.

Occurritur objectionibus.

Deum super

Communis tamen doctrina afferens sufficere dilectionem super omnia appetitivè probatur.

Id ipsum certum est apud omnes nos non obligari ad maximam intensiorem dilectionis possibilitatem, sive absolute, sive considerato auxilio & habitu diligentis.

50. Major appretiatio qui fiet cum minori intensioe.

Denique recte consistit majoritas aestimacionis cum minori vehementia seu intensioe actus: quemadmodum cum majori intensioe actus opinativi consistit major firmitas actus scientiae remissioris: & cum intensioe majori actus scientifici major firmitas actus fidei remissioris. Sic etiam apparet in matre inferior dilectio praesentis prolis parvulae; cum tamen facta comparatione, dilectio filii senioris absentis, unde familiae bonum pendet, sit quoad appretiationem seu aestimacionem major. Pari modo ex sublimiori aestimacione, quam habemus de bono infinito, potest oriri amor appretiativè perfectior, et in intensioe minor affectu erga rem aliquam sensibus propinquam, atque adeo vehementius animum trahentem. Prout homines etiam justi frequenter magis afficiuntur dolore quod attinet ad vehementiam de morte parentis, quam de peccatis; de quibus tamen magis appretiativè dolent. Vide plura apud *Poncium sup. n. 37.*

¶ seqq.

51. Hujusmodi dilectio Dei etiam supra nos ipsos esse juxta inclinationem naturalem.

Ex his colligi potest amorem Dei super omnia, adeoque supra nos ipsos, esse juxta inclinationem naturalem hominis seu creaturae rationalis; ut docet *D. Thomas 1. P. q. 60. art. 5. Scotus 3. d. 27. quaest. unic.* Probatur: quia Deum supra nos ipsos esse diligendum dicitur recta ratio & jus naturale, vetans nos aut quidquam aliud aequè vel magis diligere; creatura autem rationalis quatenus talis naturaliter inclinatur ad se conformandum rectae rationi naturali & juri naturae. Confirmatur: quia gratia non destruit naturam, sed perficit, per gratiam autem inclinamur ad hujusmodi amorem, adeoque natura non inclinatur in contrarium. Potest quidem ratione facilitatis, ac intimae conjunctionis viciniae proposita natura magis esse propina ad se amandum non tamen ad se amandum aequè vel magis quam Deum: propterea enim haec spectaret ad corruptionem peccati, non ad propriam inclinationem naturae rationalis.

52. Potest hoc praecipuum in via impleri.

Ex dictis etiam patet dubitatum esse, quod praecipuo dilectionis Dei possit in hac vita satisfieri: cum praecipua Dei non sint gravia, minus impossibilia, justis praesertim; & *Luca 10.* Legisperito referenti hoc praecipuum Christus dixerit: *Hoc fac, & vives*: & frequenter in Scriptura exigatur, ut toto corde quaeramus Dominum; prout David testatur se illum quaesivisse *Psal. 118.* Dum igitur nonnulli Patres, signanter *Augustinus* variis locis, insinuant praecipuum hoc non posse in hac vita perfecte impleri, sed solum in patria loquuntur (uti *Augustinus* se satis explicat) de illo, non quatenus hic cadit sub obligationem, sed quatenus proponitur homini ut scopus, in quem collimare debeat, ut scilicet ex toto corde intelligatur diligere Deum, quando sine intermissione, & extremo conatu ac appretiatione diligitur Deus etiam cum omni venialis culpa; omnique affectus extranei stabili exclusione. Hoc enim solum erit in patria, dum charitas perfectissime possidebit cor, eique dominabitur; estque ille finis praecipui hinc obligantis. Et sic inquit *D. Bonaventura dist. 27. art. 2. q. 6.* *hic modus non obligat ad sui completionem, sed exprimitur in praecipuo, ut sciamus quo per amorem debeamus tendere.* Vide ipsum, & *Janonium in Concordia Evangelica c. 81.*

Explicatur dicta Augustini.

gatur diligere Deum, quando sine intermissione, & extremo conatu ac appretiatione diligitur Deus etiam cum omni venialis culpa; omnique affectus extranei stabili exclusione. Hoc enim solum erit in patria, dum charitas perfectissime possidebit cor, eique dominabitur; estque ille finis praecipui hinc obligantis. Et sic inquit *D. Bonaventura dist. 27. art. 2. q. 6.* *hic modus non obligat ad sui completionem, sed exprimitur in praecipuo, ut sciamus quo per amorem debeamus tendere.* Vide ipsum, & *Janonium in Concordia Evangelica c. 81.*

Dubitatur III. An praecipuo dilectionis Dei satisfiat per actum naturalem? Resp. satisfieri posse, non sic tamen, quin etiam per actum supernaturalem: ut proinde indifferens sit, quantum ad hoc praecipuum. Quatenus tamen actus supernaturalis charitatis esset medium necessarium alicui ad salutem, eatenus quoque indirectè caderet sub obligationem ratione finis.

53. An satisfiat huic praecipuo per actum naturalem.

Dubitatur IV. Quo tempore obliget praecipuum affirmativum internae dilectionis Dei? Nec agitur de obligatione indirecta, eliciendi v.g. actum charitatis vel contritionis charitate perfecta in casu, quo id requiritur ad ministrandum aut suscipiendum aliquod sacramentum, vincendam tentationem aut periculum peccati in certa occasione, fortassis martyrii, assecurandam salutem suam in fine vitae per medium certissimum &c. (quibus casibus etiam satisfiat obligationi directae, quae aliquin fortassis concurrere possit) sed de obligatione directae, quae concernat etiam hominem in infantia v.g. justificatum, aut alias in gratia existentem.

54. Quando nam obliget.

Quae quidem quaestio difficulter determinari potest, ob incertitudinem rei, & consequenter varias de tempore hujus obligationis opiniones. Aliqui enim (inter quos refertur *D. Thomas*) determinant primum instantis acquisiti usus rationis: alii insuper articulum mortis: alii praeterea (inter quos refertur *Scotus sup. num. 18.* qui tamen aperte solum loquitur dubitative) dies Dominicos seu festivos: alii adhuc (quod probabile censet *Poncius sup. num. 64.*) omne tempus, quo divina bonitas sufficienter proponitur tamquam amanda, nec adest impedimentum aliud, quam inordinatus affectus actualis vel habitualis erga creaturas: alii è contra existimant sufficere, ut semel in vita eliciatur actus dilectionis, eo quod sic satisfiat rigori praecipui affirmativi, repetitos actus non exprimentis.

55. Incertum est, variis de hoc opinionibus.

Quod postremum difficulter convincitur falsitatis, etsi appareat incongruum valde, ut homo aliquanto tempore vitam cum usu rationis prorahens non nisi semel affectum dilectionis erga Deum suum eliceret.

56. Indicium de singulis.



Quod autem asseritur de primo instanti ulus rationis, non rectè fundatur à *Thomistis*, ut ostendit *Poncius sup. num. 53. & seqq.* Si tamen intelligeretur hoc modo, quod homo perveniens ad perfectum ulum rationis, propositaque divinâ bonitate ac obligatione Deum diligendi, teneatur statim moraliter loquendo se ad Deum suum per actum perfectæ dilectionis convertere, illumque instar cujusdam homagii Deo offerre: non esset, quod multum culpetur, quin immo factum id rationi videtur congruere. Prout etiam congruit rationi (etsi non satis constet) ut id fieri debeat in fine vitæ moraliter accepto, quodque non nimis diu differatur durante vitâ. Tempus autem determinationi prudentis relinqui solet: nisi quod *Cominck disp. 24. num. 53.* & alii, signanter reputent dilationem trium annorum esse gravem, eò quod tam diu differens videatur divinam bonitatem contemnere, & se in periculo eam creaturis postponendi statuere.

Advertit tamen *Castro Polao d.1. p.4. n. 57.* rarò fidelem, nisi moribus depravatum, hujus peccati reum existere; ut potè sæpè se disponentem ad absolutionem per contritionem, & consideratione divinæ bonitatis ac beneficiorum se ad affectum amicitiae disponentem.

Alioquin rigidum nimis est, & à cõmuni sensu ac praxi alienum, solidoque fundamento destitutum quod *Poncius* probabile asserit, obligationem currere, quotiescumque Deus proponitur sufficienter ad amandum. Idemque est de determinatione diei Dominicæ, quæ est ex institutione Ecclesiæ, in cujus quoque lege non præscribitur actus dilectionis Dei super omnia. Neque etiam fideles hanc obligationem apprehendunt, aut de omissione talis actus se accusant. Quamvis consultissimum & securissimum sit exequi, quod rigidiores sententiæ necessarium volunt.

QUÆSTIO VI.

De Præcepto Dilectionis Proximi, Præsertim inimici.

58.
Præceptum dilectionis proximi concernit etiam inimicos. Probatur.

HOC præceptum exprimitur à Christo *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi sub nomine proximi intelligitur etiam inimicus juxta unanimem Patrum & Doctorum sensum. Qui confirmatur ex *Luca 10.* ubi Samaritanus (etsi alioquin Samaritani Judæis non cõterentur) vulneratum Judæum curans dicitur præ aliis in debiti executione deficientibus misericordiam præstitisse tamquam proximus, in signum quod nemo à nomine & debito hoc sit eximendus: propter

quod Christus ibidem concludit: *Vade & tu fac similiter.* Vide *Augustinum lib. 1. de doctr. Christ. c. 30.* Sed & *Matth. 5.* postquam dixisset Christus: *Audistis, quia dictum est, Odio habebitis inimicum tuum,* id ipsum corrigi, dicens: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros &c. ut sitis filii patris vestri, qui in celo est &c.* per quæ satis indicatur rigor præcepti. Et *Luca 6.* familia repetuntur, subjunctâ generali ratione præcepti: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Quin etiam in veteri Testamento idem præcipitur, ut *Exodi 23.* de bove & asino inimici reducendo & sublevando, & *Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum &c.* Quam sententiam repetit Apostolus ad *Rom. 12.* Idem Christus, Stephanus & alii Sancti exemplo suo ostenderunt. Denique in ipsa Oratione Dominicâ jubemur orare peccatorum remissionem, sicut nos dimittimus in nos peccantibus. Id ipsum tradunt Patres passim obvii.

Proinde in veteri lege non erat præceptum nec permissum odium inimicorum, sed Pharizæi (quorum interpretationem Christus redarguit) ex eo, quod *Levit. 19.* haberetur: *Diliges amicum tuum, sicut te ipsum,* inferebant non rectè à contrario sensu, odio habendos inimicos. Quin potius nomine amici ibi intelligitur quilibet proximus, ut habet textus Græcus. Item vox Hebræa significat quidem amicum, sed sæpissimè, & in presenti sumitur, ut quemlibet quovis vinculo conjunctum significet: prout omnis homo creatus ad imaginem Dei, & consequenter capax summi boni, ad invicem habet affinitatem seu conjunctionem naturalem. Nonnulli tamen censent permissam fuisse Judæis inimicitiam seu potius hostilitatem & abominationem alienigenarum, non eandem omnium, sed aliquorum, puta Chæneorum & similium. *Augustinus* etiam vult in lege verè contineri illud de habendis odio inimicis, sed esse vocem non jubentis iusto, sed permittentis infirmo. Vercè odium inimicorum eatenus præceptum aut licitum fuit, uti & modo est, quod feratur in eos quæ tales, id est, odiendo exemplo Dei id, quod in eis malum est, seu iniquitatem, non homines ipsos. Alioquin proximo, etiam peccatori aut inimico, non possumus desiderare malum ut ei male sit.

Hinc imprecationes malorum gravissimorum, quæ frequenter fiunt peccatoribus in Scriptura, sunt intelligendæ hoc sensu, ut iis desideretur inflicio pœnæ, quatenus per illa ostenditur divina justitia, & alii eorum punitione corriguntur, ipsique à nocendo & demeritis augendis cessant. Deinde modus optativus frequenter in Scriptura sumitur pro indi-

59.
An odium inimicorum in lege veteri præceptum aut permissum fuerit.

60.
In Scriptura quæ sensu malis peccatoribus imprecationes sunt Sanctorum.